De principatu Agathoclis, Siciliae tyranni; Justino duce.

Quum potentiae magnitudo illa, cui homines arcana vi ducti se subjiciunt, non principum, sed civium gratia instituta sit: eos demum principes laude, qua digni sunt, afficiemus, qui non tam sibi, quam populo se vivere reputant agendique rationem commodo civium potius, quam suo metiuntur. Antiquissimis quidem temporibus patriae patrum nomine nequidquam gaudere magis, quam bene ac convenienter insigniri potuerunt, ut saltem hinc eminentiae suae originem et docerentur et, quid conveniret sibi, diligenter meminissent. Patres enim olim, antequam de regum pompa sciretur, velut in tribunali praesedisse suis, asseverare licet, quia aetate provecti fuerunt ingentemque ex se natorum multitudinem numerarunt, quae sine dubio, ut instinctu naturali, ita communi suffragio auctorem suum arbitri loco venerata est ejusque judicio in rebus controversis salutariter ac pie acquievit. Hoc qui a vero abire dixerit, is nimis vel bene vel male de prima hominum aetate senserit eamque aut controversiis aut reverentia in senes caruisse, non bene opinabitur. Jam canum illum familiarum patrem et moderatorem, ob rerum usum per tot annos prudentia magna insignem, quis non credat, omnibus amore paterno consuluisse, quoslibet bonos naturae ductu amasse, malos non nisi ob malitiam odio persecutum punivisse, ceteroquin suo sanguine natos esse perpendentem? Duravit aliquamdiu haec moderandi felicitas nec tum cessisse existimari debet, quum, hominibus minus senescentibus et familiis in coloniam missis, penes duces imperium erat paulo splendidius: hos enim officia pii patris exsecuturos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat, quae ita probabatur, ut pro legibus essent arbitria ipsorum. Quos igitur illis temporibus populus sibi duces rectoresque et velut speculatores publici commodi eligebat, ii imperandi dignitatem gesserunt. At evenit pedetentim, ut filios non minus oculo sollicito spectarent, quam animo fidente ad imperia natos crederent; quo factum est, ut quaesitae dominationis magnitudo continua possessione firmaretur. Rei publicaene bono? id non tam exponendum, quam indicandum censeo. Qui suffragio debent fortunam princi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

patus in sua familia non haesuram, adhuc aliquo modo privati, qua quidem eos posterorum cura tangit, publica commoda non videntur tam vera totaque diligentia procurare, quam qui suum a majoribus regnum etiam nepotibus adornant; ut affirmare non dubitem, filiorum in regimine paterno successionem illi convenisse statui, quum familiae mox augerentur et patriae fines vel proferrent vel alio migrantes linquerent: ubi non tantum opus fuerat, ut regnum populumque pater bene conderet, sed etiam heres sic regeret, ne civilibus dissensionibus turbaretur, sic tegeret, ne ab hostibus (ita enim peregrinos aetas prima vocavit) terris suis pelleretur.

Quocunque autem modo hi, quos dixi, imperium adepti sunt, seu libero populi suffragio, seu paternas atque avitas opes tenentes cum hereditate imperandi, seu alia denique justa ratione praeter dictas; salutem dummodo populi primam habuerint, meruerunt, ut boni duces, reges atque imperatores dicerentur. Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus aegroti, imperatori victoria, sic principi beata civium vita, Tullio judice, proposita esse debet. Quibus ut consule nihil dignius pronuntiare potuit Romanae eloquentiae parens: ita Imperator Tiberius illis, quae in consessu senatus protulit, non quidquam humanius: Dixi nunc et saepe alias, P. C., bonum et salutarem principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, senatui servire debere et universis civibus saepe ac plerumque etiam singulis: neque id dixisse me poenitet. Memoranda, inquam, et laude dignissima Imperatoris oratio, nisi undique imminentium discriminum causa principatum occupare dubitasset eoque occupato, omnem rei publicae curam abjecisset. Quanto laudabilius Epaminondas non sibi semper, sed patriae imperium quaesivit honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur, imperioque, etsi quatuor mensibus diutius, quam populus mandaverat, tamen nonnisi, ut rei publicae serviret, vitae cum periculo praefuit. Quum quidem bene imperat princeps, tum etiam rei publicae cum honore servit: quum imperare metu quodam recusat, servitutem honoratam detrectat: quum vero dominatur, servire communi bono desinit et sibi ab omnibus moleste serviri cupit. Dominatio enim ab imperio civili, sive ultro in imperantes collato, sive stirpem comitante, sive alia justa ratione parto, multum distat; imperium civile libertatem unicuique naturalem non tollit, sed ne ab aequo et bono deflectat, dirigit; dominatio vero, quam Romani cives olim in servos habuerant, omnino libertatem tollebat adeo, ut ab omni communione juris civilis penitus excluderentur; immane quantum inferiores, quibus integrum erat ad libertatem naturalem sub imperio civili respicere. Quapropter quum dominari, quam imperare tyranni malint, dominari vero iniquissime, principatus eorum cunctis civibus non immerito odiosus est. Quid enim tyrannis aliud, quam violentum unius imperium praeter mores et leges? Nam praeter fas administrat principatum suum tyrannus, non opprimendos opprimens, bonos potius, quam malos habens suspectos, armis defendens, quod justitia nequit, invitisque imperans. Ut vero tyranni varii sunt, ita rei publicae modo majori modo minori sunt detrimento. Quosdam enim nefas artesque malae, quas regnandi amor ac

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

libido insatiabilis suppeditavit, ad tyrannidem provexerunt, sed postea summa ope niti videas, ut imperio subjectis gratificentur et placeant. Quidam legitime constituti populum mirum et miserum in modum premunt et spem de se conceptam destituunt inique: hos vero meliores optare pietas, damnare religio sit. Verum ea res publica imprimis laborabit, quae non occupata tantum est dolose, sed insuper pessime administratur ab homine privato, civium salutem non habente primam, quod regis est, sed, quum familiam suam subsistere aliter non posse animadvertit, paulum ad cives curam deflectente. Quod de Agathocle, Siciliae tyranno, verissime dici, explicatius ostendam. Hunc enim jam exhibeo multa feliciter, minus laudabiliter gerentem.

Si Agathocles tam prudentiam, quam felicitatem, pedissequam ejus non infrequentem, amicam habuisset, in eo duo praecipua ducis ornamenta infuisse, in laudem ejus diceremus. Namque et prudentia et felicitas tanti sunt ponderis, ut plus, quam alii duces, valuerit Miltiades. Veruntamen quod medicis usu venit, quorum non tam in consilio prudentiam, quam in auxilio felicitatem aegroti adorant, id pariter regibus ducibusque evenire solet, atque inde proxima quaeque victoria nonnullis fuit instrumentum sequentis, quum, bella saepissime fama constare, ipsa loquatur fama. Neque vero in bellis modo, sed etiam aliis rebus gerendis magni momenti felicitatem esse, documentis non alienis primum evincam.

Constat, homines in iis rebus, quibus deducuntur ad consilium, quod sibi ante oculos proposuerunt, non una ratione procedere: nonnullos circumspecte, alios cum impetu; alios vi, alios arte; alios patienti animo, alios effreno: et unumquemque his modis sibi repugnantibus eo pervenire posse. Vicissim ex duobus, qui in agendo eadem diligentia toti versantur, vedemus alterum, quo destinavit, pervenire, alterum nequaquam. Quae ipsa felicitati et infelicitati assignanda esse, sine impietate dixerim. Sine impietate, inquam; neutiquam enim cum gentilibus facio, qui nescio quam fortunam finxerunt omni in re dominantem fortunaeque numen tanti aestimarunt, ut aedes diversas ei superstitiose nuncuparent. Principium his Servium Tullium dedisse novimus, tum quod ab ea ex servo in regnum esset evectus, tum etiam prospiceret, eam occasionibus rerum gerendarum plurimum habere in utramque partem momenti. Neque ignoro, Deum praepotentem interdum, ut res humanae quasi violenter agitentur, permittere, ita tamen, ut vis illa humanis artibus mitigetur; non nunquam molliter admodum regere omnia, multumque consiliis nostris indulgere; interdum, quidquid conemur, vanum et irritum facere. Felicem abs re (ob successum, quem optavit) eum existimari posse putaverim, cujus in administrando consilia et facta temporum conditioni responderunt, infelicem autem, a cujus rerum gerendarum procuratione tempora discreparunt.

Restat igitur, ut expendamus res et statum Siciliae et conferamus cum iisdem humile Agathoclis atque sordidum genus, ex quo ad illam regni majestatem pervenit, et quantum felicitati ob pervicacem alterius infelicitatem debeat, plane apparebit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sicilia, etsi libertatis suae nunquam non studiosa fuit, exterorum tamen dominatum felicius, quam domesticorum tyrannidem repulit. Causa fuit posita in imperii conditione. Id enim accepimus, unam eandemque rem publicam non uni, sed pluribus parere coactam in partes haud raro scindi, nullo acquieturam consilio, quum aliis odio sit nimia quorundam potentia, alii partam retinere, alii parem comparare studeant, quum hi procerum, illi populi, alii militum sibi studia concilient: quae si conspirat quidem, amice dato sanis consiliis loco vel coëuntibus in unum viribus, avertendis et evertendis externis hostibus non impar esse potest. Ita quum Athenienses classem in Siciliam mitterent, verbo quidem, ut Leontinis adessent contra Syracusanos, revera autem, ut insulam illam suae ditioni adjicerent, Hermocrates, id fraudi civibus esse animadvertit et auctor fuit Siculis, ut omni deposita simultate pacem inirent; nam Athenienses insidias omnium ipsorum libertati tendere. Verum quotusquisque tum Syracusarum rebus feliciter consuluit, quum Dionysius saevitia grassabatur et urbem, homo insanus, caedibus replebat? Eo res spectabat tandem, ut cives adversus civem semel iterumque bellum decernerent, in quo variis casibus jactati aegre obluctari poterant sua potestate et imperio se exuenti. Imperium enim, quod causam calamitatis dico, vel penes populum vel optimates ceterum futurum fuisse, nisi rem publicam tyranni oppressissent, non negari statuo. Syracusanos compositis cum Thrasybulo rebus se in libertatem vindicasse, eandem reliquis rebus publicis dominatione vel praesidiis occupatis asseruisse, statum popularem ubique constituisse atque ita per annos sexaginta ferme usque ad Dionysii dominationem longa in pace floruisse, Diodorus Siculus narrat. Etiam Agathoclem jurejurando confirmasse, se populari dominationi non restiturum, variisque eam in rem concionibus habitis imperatorem esse creatum, idem est auctor. Itaque libertatem bis erepturum, haud injuria bis in exilium a popularibus eundem agi potuisse, utut improvide id factum est, sua sponte sequitur. Syracusae quidem etiam per aliam fortasse imperii formam tractae sunt et exercitae; constat enim, Gelonem a populo ornatum in regno consenuisse atque tanta gratia apud cives suos valuisse, ut tribus deinceps per successionem ducibus, perinde atque hereditario jure constitutis, ex ea familia imperium civitatis continuatum fuerit: imperio tamen a rege et successore legitimo vacante, libertatem pristinam ad populum, in quem a nemine sine ipsius consensu potestas exerceri queat, redire opinor; atque ita non in dubium vocandum esse putaverim, mortuo tyranno, qui plurium antea potestatem, iis invitis, scelere sibi rapuit et possedit, ipsam imperii summam ad priores redire dominos, quibus liberum sit, ut regni majestatem vel patiantur per unum administrari vel sibi servent, et in conatus privatorum in tyrannidem inclinantium animadvertant. In id ipsum multum studii contulerunt Syracusani, quamvis non pari successu atque industria. Neque enim ea est humanae providentiae vis ac conditio, ut vel ad summum evecta fastigium casui non subjaceat: et Argus quoque, etsi totus fuit oculeus, Mercurii insidias evitare haud potuit. Nonne igitur violentius fatum, an hominis imperii cupidissimi et otio intempestivo deditissimi astuta et ingeniosa solertia mul-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

torum quantumvis libertatis vindicum custodiam eludat? Sed prudens ea res publica est, quae mature principiis obstiterit: nam prudentiae interdum adhuc locus relinquitur. Non dicam vero multa de testarum suffragio, liberis olim civitatibus usitato, quod non juvisse semper, quin nocuisse saepius, testantur exempla, ipsius etiam Agathoclis, ut postea dicetur. Raro invenias Camillos, qui exilium patriae aequo ferant animo. Neque crimina semper manifesta sunt, aut excogitari juste possunt, aut leges, quum nonnullae civitates nullas dederint, illico suadent, ut vim adhibeas, in vincula conjicias in iisque mortem obire sinas eum, qui ad imperii cupiditatem trahi videatur; ut Athenienses Miltiadem maluerunt innoxium plecti, quam se diutius esse in timore. Mea sententia conamini eorum, qui per studiosos sui in senatu ad minuendam rei publicae libertatem, augendam vero domesticam potentiam, majora concupiscunt, obstantesque in senatu ejusmodi relationibus ac consiliis, aliunde quaesita poenae causa, vita et fortunis privant, tanquam pesti atrocissimae, legum aeternitate occurri potest. Si deprehensi fuerint moliri aliquid, unde libertas rei publicae et senatorum auctoritas detrimentum capere possit, pro magnitudine rei puniendi statuuntur, ita ut nunquam contra audaciores ire queant, illisque, qui hanc legem abrogare voluerint, alia lege superaddita, id capitale ducitur. Ita legi aliquis irasci poterit, non tamen eam infringere, neque vero irasci poterit iis, qui legem tuentur. Ejusmodi lex quum Syracusanis deesset, libertatem infra tyrannos projectam viderunt. Sine ejusmodi enim lege multorum potentia plerumque in paucorum desinet; haec autem se facile vertet in unius dominationem, qui aut melior, aut viribus vel astutia major sit ceteris. Quum vero contra violentas hujusmodi mutationes unius principatus ratio sit sola et optima, quis consilium, quod unius potius, quam plurium commendat postestatem, quae ipsa restringi potest, consilio antea dicto praeferre nolit? Intellexerunt id tandem Siculi, qui per annos sane multos externa simul ac civilia bella et nocentius malum, tyrannidem, passi vel mediocrem aliquem principem grate laturi videbantur. Princeps enim, in quem ultro illa potestas collata est, quorundam prava molimenta facile everterit. Quid plura? Syracusis, inquam, quoniam pluribus, lege contra tyrannos non lata vel certe neglecta, imperare in animo fuit, quum in talem rei publicae statum tyrannus Siculus inciderit, quis eum felicem neget? nam et consilia ejus temporum conditioni responderunt, et tempora consiliis.

Haec autem felicitas ita comparata est, ut quamvis vim ingenii prudentiaeque non semper comitetur, ingenio tamen (pravum an bonum sit, nihil refert) plerumque adjuvetur. Itaque ut credam, res Agathoclis tam diu integras duraturas fuisse, si ingenio non valuisset, non adducor; prudentiam vero, virtutis matrem, raram ei vindicarim; prudentia enim praescribit, quid agendum sit, virtus, quod praescriptum est, exsequitur. Prudentiae loco astutiam plerumque adamavit. Magna fuit vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque, id quod de Catilina Sallustius dicit. Trahebatur ad majora hic figuli filius, alta vero regni fastigia obtinere et retinere ingenio nonnisi pravo et scelerato potuit. Etsi enim imperia non uno modo legitime acquiri possint et parta juste ad sui conservationem in-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

honestorum consiliorum non indigeant: quosdam tamen principatus non nisi pravis consiliis, sceleribus et inhonestis artibus parari et maximam partem servari, vel solo Agathoclis exemplo constat, cujus imperium nunquam natum aut tam diu servatum fuisset, si solam virtutem, vel id, quod justum est, coluisset. Neque in dubio fuit Agathocles, cujus vastus animus immoderata, incredibilia, nimis magna semper cupiebat, quibus modis regnum acquisitum retineret, quum probe sciret, qua ratione posset esse non bonus. Luculenter id apparebit, si probavero, eum non forma, non robore, non eloquentia, non divitiis et potentia, non ingenio denique, ut par fuit, usum esse.

Non attinet hic multa dicere de ejus pueritia, in qua nondum habebat rei publicae capiundae libidinem. Attamen quia tyrannis non ex paucis quibusdam factis, sed habitu totoque vitae et regiminis instituto examinanda est atque Apulejo judice ea est luxuriosa et plena libidinis vita, quae ex diversis et non licitis voluptatibus conflata mente tota dominatur, pueriles et juveniles ejus annos non penitus praeteribo. Hos omnino non habuit honestiores, quam principia originis et reliquam aetatem. Nam forma et corporis pulcritudine egregius juventutem exhibuit libidinosissimam indolisque suae felicitatem lasciviae malis corrupit. Sed o quam rara fuit olim pudicitiae formaeque concordia! Attamen turpitudinem illam non eluet pessimum exemplum Graeciae, quam mireris eo dementiae processisse, ut laudi duceret adolescentibus quam plurimos habere amatores. Infamia vero exitium tanto majus putandum est, in quanto plures grassatur, si huic foeditati principes futuri se addixerint. Plerumque enim cum voluptate crudeliter dominandi libidinem sociant, prorsus quasi conveniret his vitiis in una morari sede. Testes nominare possum turpissimos tyrannos Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem, alios. Sed unus instar omnium sit Agathocles, qui, corpore voluptati prostrato, mox, ne diversitati non licitarum voluptatum quidquam deesset, robore abusus, vitam latrociniis mutavit.

Qui magnus aliquando latro futurus erat, is, ut per gradus iret, in parvis periculum facere voluit. Justitia enim remota quid sunt regna, nisi magna latrocinia, quia etiam ipsa latrocinia, quid sunt, nisi parva regna? Manus enim hominum imperio ducis regitur, pacto societatis adstringitur, arbitrii lege praeda dividitur. Hoc malum, si perditorum hominum accessione tantopere crescit, ut etiam loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjiciat, evidentius regni nomen assumit, quod ei manifesto jam imponit non capta cupiditas, sed addita impunitas. Quod Vellejo est triste illud et contumeliosum bellum in Hispania, tam varia fortuna gestum, ut saepius Romanorum gereretur adversa? Nonne quod duce latronum Viriato susceptum est? Vir hic calliditatis acerrimae, qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, et, si fortuna favisset, Hispaniae Romulus factus esset, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum et Tagum igni ferroque populatus, castra quoque praetorum aggressus, Claudium unimanum paene ad internecionem exercitus cecidisset. Ita felix ille terrarum praedo, quod nomen Lucanus Alexandro imposuit, regna ducibus suis stabilivit, quod exemplum Napoleon nostris temporibus quodammodo imitatus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est. Quam ob rem pirata quidam comprehensus et interrogatus, quo scelere impulsus mare haberet infestum? Alexandro M. libera, quamvis improbanda, contumacia respondit: eodem quo tu orbem terrae: sed quia id exigua nave facio, latro vocor, quia tu magna classe, imperator. Verum quum Agathoclis latrocinia paulo diligentius expendo, paene dubito, jam tunc ea hoc consilio susceperit, ut manu audaci collecta tyrannidem tentaret, an latrociniorum usus animum ejus in cupiditatem regni negotia tractandi sensim erexerit: ea enim aetate fuit, qua jam non vano aut dissimulato impetu sua quemque natura in studium abripit, quo postea maxime ducetur. Sed quoquo modo sese illud habuit, ratio status tunc nondum conamen ferebat: quare de loco statuque, in quo vitam ageret, dispiciendum erat. Item dubium est, consulto an temere Syracusas concesserit et in civitatem inter incolas adscisci voluerit. Ceterum multum refert, hoc an alio loco, hoc an alio statu vivas: neque exigua prudentiae et felicitatis pars est, quam quis sedem conditioni suae aptissimam inveniat. Saepe cum tenuis et obscurae vitae augustiis conflictatur, qui lumen esse potuisset, si alio esset delatus. Quid animi fuerit Agathocli, dubito: illud liquet, primordia ei obtigisse perquam aspera, qui inter magnos et ipso pacis tempore eminere potuisset, si mediocribus affluisset opibus: sed miser homuncio, id quod sine dubio aegerrime tulit, diu sine fide fuit, quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia, quod inquinaret, habere videbatur.

Sed quemadmodum aquarum fluctus hoc velociore impetu aggeres dirumpunt, quo violentius in minora spatia cogebantur; ita vicissitudo temporum, quem modo in angustias coëgit, jam liberrime grassari patietur. Nemo est prudentium, qui militiam fortibus felicibusque gradum ad potentiam esse neget. Itaque eum Agathocli animum fuisse putem, quem ante secula nonnulla Attendulo, Francisci Sfortiae, Ducis Mediolanensis, patri, fuisse legimus, qui quum vinitor olim tristis in vineam exisset, visis militibus ense cinctis et luxuriantibus, animo pependit, satiusne foret vitam laboriosam pergere, an militibus se adjungere? tandem stans ad nucem talia versavit in animo secum: Agedum Attendule, projice bidentem in arborem; si haeserit, Martem sequere, si deciderit, fortuna contentus vineam porro fode et cole! Favet sors hilarior et jactum sarculum ramo arcte alligat, Attendulum castra sequi, fortemque et felicem esse jubet. Cui quum filius Franciscus fortuna et virtute antestaret, tandem ex praefecto militiae Venetae Dux Mediolansis evasit. Quamquam vero Attenduli exemplum ab Agathocle ob honestatem abhorret, si tamen utriusque emergendi modum spectamus, paulum abest, quin comparare audeam. Desperatis enim Agathocles rebus, militiam amplexus est: in ea, ut esset aliquis, omnia ausurus. Eadem quidem delicta in sago quam toga sunt graviora et perniciosiora meritoque severius puniuntur. Quod optime Tiberium intellexisse ferunt, qui disciplinam acerrime exegit, animadversionum et ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, ut honore ducis *νομιμωτάτου*, quo Augustus ipsum affecit, non sit fraudandus et multis ante hunc annis Populus Romanus praecipuam dedit operam, ut cives bonae frugis deligeret, quibus domi suppeterent opes. Regnorum tamen de-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

trimento quidam severitatem delectumque bonum non observarunt, inter quos habendus est Timoleon Corinthius, qui civitate Syracusana donavit, qui vellent; multis postea ex his de faece hominibus bellum arrisit, tum quod spes una sustentationis restiterit, tum quod in eo, legum usu non semper observato, militi licuerit, quod lubuit. Sine hac enim conditione non pauci optassent, ut arma deponere possent, multi ipsi quaesivissent effugiendi occasiones, qui tunc ultro se obtulerunt et militiae nomina sua non tam dederunt, quam obtruserunt tantum eam ob causam, ut sibi liceret ad libidinem esse audacibus ubi timidos, timidis ubi audaces esse oportuit. Quibus, quamvis Agathocles patienti magnoque animo fortasse antesteterit, in eo tamen comparandus fuit, quod gregariam militiam sortitus non minus tunc seditiosa, quam antea turpi vita in omne facinus promptissimus fuit, nescio ducisne lenitate, an eloquentia, qua multos in admirationem sui rapuit, callide nixus. Virtutes enim, sed fallaces, vitiis specie miscuisse videri potest optimeque compertum habuisse, sine virtute aut virtutis saltem specie quadam ad imperium iter nequidquam tentari posse. Agathocles, inquam, vitiorum foeditatem non explicavit, sed ascito virtutis ac gratiae splendore texit, quum et manu strenuus et in concionibus perfacundus haberetur. Quis vero nescit, tantam utriusque vim esse in utramque partem, ut si bonis haec duo obtigerint, commune bonum sperandum, si malis, non minima pars incommodorum alicui rei publicae exspectanda sit?

Ut fortitudinem praetercam, de facundia verbis inter Romanos eloquentissimi, quam meis loqui malim; quocum me diu cogitantem, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur: qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his pugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

Quum igitur de Agathocle cives non solum bene sperarent, sed etiam confiderent, talem futurum, qualem facundia et fortitudine cognitum judicarunt, accidit, ut brevi centurio, ac deinceps tribunus militum fieret. Aut enim non tam nota fuerunt omnibus vitia ineuntis adolescentiae, quam postea, quum alia identidem accederent; nam qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid deliquerunt, pauci sciunt, fama et fortuna pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti homines noverunt; aut, si malimus, vitia ejus, latrocinia dico et libidinem, rei publicae non tantopere nocitura esse putaverunt, ut propter ea ab omni aditu dignitatum militarium excludendus esset. Apud veteres certe Aegyptios, quod genus hominum constat et in artibus reperiendis sollers extitisse et in cognitione rerum indaganda sagax, furta omnia erant licita et impunita. Apud Lacedaemonios quoque sobrios illos et acres viros non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pauci neque ignobiles scriptores, qui de moribus legibusque eorum scripserunt, jus atque usum fuisse furandi dicunt: idque a juvenibus eorum non ob turpia lucra neque ad sumptum libidini praebendum comparandamve opulentiam, sed pro exercitio disciplinaque rei bellicae factitatum: quod furandi sollertia atque consuetudo acueret obfirmaretque animos adolescentium et ad insidiarum astutiam et ad vigilandi tolerantiam et obrependi celeritatem. Quod si cum insanientibus furere voluissent Siculi, eundem etiam latrociniorum usum censuissent. Aut si haec impietas ab ipsis abfuit, certe vitiis Agathoclis virtutibusque expensis, virtutes intempestive potiores duxerunt, sperantes, fore, ut vitia magnis virtutibus emendaret: tanta enim experimenta sui duobus bellis dedit, ut in locum demortui Damasconis, qui a Diodoro Damas appellatur, sufficeretur. Si experimenta sui eum dedisse dico, calliditatem comitem non excludo. Nam dignis quidem et virtuti praemium debetur, sed crebro obsequio gratia dominorum, qui rerum potiuntur, aucupanda est; quo studio plus interdum, quam virtutis dignitate profeceris. Quare sicut utilitatis plenissima ratio est, longa se familiaritate cum optimatibus miscere, qui multo usu cognoscere acris mentis vires et cognitas possunt provehere: ita versutum Agathoclem multum juvisse puto ejus cum duce consuetudinem, improbe quamvis contractam, quandoquidem hujus uxor nihil sine dubio eorum apud maritum intermisit, quae Agathocli profutura judicavit. Si gratiam non in libidinem vertisset, non esset reprehendendus. Vanus sit, qui vanam credat in aulis gratiam mulierum vel clam vel aperte vel precario plerumque imperantium. Quam flectere viros atque eo clientibus suis prodesse queat muliebris sexus, historiae et veteris et recentioris monumenta haud contemnenda comprobant. Agathocles vero favore ducis suae polluto ad majora adspiravit nec vero crucem sceleris pretium, sed diadema tulit. Nam ducis uxorem, quam adulterio cognoverat, post mortem viri in matrimonium duxit et sic ex inope repente dives factus est.

Si quam usque eo admirationem habuimus, ea vel immane quantum postea crescet vel in justum desitura est odium, si quas machinas molitus fuerit, porro inspexerimus. Non contentus fuit Agathocles divitiis indigne comparatis, sed majores iniquissime quaesivit et piraticam adversus patriam exercere non dubitavit. Patriamne impune delusit? Raro ad extremum durat sors faventior, immutat vultus, et maligno aspectu terret, quos celeri gradu ad laeta promovit. Magno fuit Agathocles timore, quum socii ejus capti torquerentur; contigit vero ei, ut de eo tacerent. Sine dubio arte et fraude eximia socios antea sic sibi devinxerat: Macti este animo, commilitones, fidem praestate incorruptam, necessitatem impositi silentii manu redimite, ita, si quod subeundum est discrimen, periculum non subibitis, dummodo me ducem diffiteamini. Meliora dii velint, quam ut proceres Syracusii in facinus nostrum inquirant. Esto tamen: non fraudabo vos arte secreta. Peream, si vobis quemquam nocere passus fuero, quamdiu potentia mea, quae quanta sit, nostis, hoc magis expeditus, quo minus proditus, subvenire vobis potero. Capti sunt. His vero promissis, si ita est, auctor conjurationis non stetit, quia vel aperta vi agmen piratas ad poenae locum comitans

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

profligare impar fuit, vel sibi saluti esse intellexit, re difficultatis infamiaeque plenissima supersedere. Caecum vulnus, ut Persius de Nerone scripsit, subter ilia habuit, quod ipsum vero balteus lato praetexit auro. Quis enim nescit, pendulis aranearum telis implicari minores muscas, quae superbo volatus stridore fucos dirumpere conantur?

Hac impunitatis illecebra, ut fieri solet, impulsus est, ut plurima misceret atque etiam majora concupisceret. Eo enim procedit audaciae, ut successu rerum patriae imperium metiatur, idque quamvis irrito conatu semel, iterum tamen occupare studeat. Nam dissimulatione diutius non opus esse censuit. Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Sed uti tunc dubium erat, qua ratione Agathocles rem publicam invasurus esset, ita nunc ex historia liquet.

Tempus erat non alienum in Agathoclem imperii cupidum atque turbulentum gravius animadvertendi. Sicut enim furaces manus, etsi furta saepe in jus vocata sunt, tamen tum demum furari desinunt, quum catenis vinctae ab omni usu impediuntur: ita item ingenia in publicum nefas velut nata idem animo scelus volvunt, donec supplicium comes sequatur. Magno usui igitur Jurisconsultorum est regula: Crescentibus delictis, crescant poenae. Non autem demirari possum, quod Agathocle iterum in exilium acto saluti suae Syracusani satis se prospexisse judicaverunt. Ob oculos versari debuit, quam nihil de indole remiserit, quamvis easdem poenas jam semel dederit. An putaverunt, si capitis condemnaretur aut in vincula perennia conjiceretur, fore, ut motus excitarentur majores? At non satis cogitarunt, intempestivam in re publica esse omnem misericordiam, qua poena potius, quam scelus differtur, ubi fagitioso summorum hominum exemplo turbatur suprema rei publicae furtuna. Punire et providere prima hic officia sunt, alterum prudentiae, alterum aequitatis. Oderint flagitiosi, dummodo ne possint nocere. Tantum praesidii in providentia futurum, quantum inter malos odii ex aequitate poenae. Plus igitur Agathoclis exilium, tanquam poena justo mitior, obfuit, quam profuit, ut cum Antaeo comparari possit, quem antiquitas fabulosa tradidit hoc validiorem semper surrexisse, quo saepius in terram, qua genitus credebatur, ab Hercule dejectus est. Pariter dum Agathocli vires adimi creduntur, novae exsurgunt. Magna enim fuit hominis astutia, qui inter Murgantinos, infestos Syracusarum rebus, degere constituit, ut magis aliorum poenam et animadversionem quaerere, quam puniri videretur.

Inter omnes constat, odii hanc fere esse indolem, ut alios sensim in sui consortionem suscipiat, amet et promoveat, qui eis, quos persequitur, pariter obsunt et invisi sunt. Quod factum, etsi nonnunquam ex sententia succedat, non video tamen, qui probandum sit. Nihilominus hac aestimatione neglecta quibusdam in eo quoddam prudentiae, verius autem plerumque astutiae arcanum situm est. Ut prudentia non fallat, perpendendae in primis sunt causae, quae prout graves aut leves, aequae aut iniquae sunt, ita quod eas sequitur, vel in medio relinqui solet, vel quam maxime improbari debet. Coriolanum certe exulem ad Volscos, infestos tunc Romanis confugisse, ac quo latebram quaesi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum venerat, ibi brevi summum adeptum esse imperium, et adversus patriam pugnasse, legimus. Sed hic vir animi altissimi optimeque de republica meritus iniquissima damnatione prostratus est. Similis casus fuit Themistoclis ad Artaxerxem fugientis. Quamquam Agathocles non meretur, ut his comparetur, quod ad caput causae attinet, successu tamen non sit inferior. Namque odio Syracusanorum primo praetor, mox dux creatur, urbem Leontinorum capit et patriam suam Syracusas obsidere coepit. Ita Syracusani, quem imperatorem nolebant, hostem ferre coacti sunt. Quae conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis exterorum opibus restiterant domesticis viribus, quin periculosior propterea, quod hostis, civis et dux antea, tum res ipsorum exploratas habuit, tum alterum hostem, Poenorum ducem, sibi tanto facilius conciliare potuit. Veterator ille, qui in publica celebritate quondam versatus regni consiliis et rebus occultis incubuit, ubi ad hostes transiit, maxime erat timendus. Tanti enim interest, conditionem, virtutem et alia hostium perspexisse, ut nonnulli spem victoriae certam in eo collocarint. Sic Hannibal Italiam notiorem sibi, quam pridem fuisse praedicabat tum, quum victoriam Antiocho pollicebatur. Ita Sextus quoque Tarquinius in eo sibi, ut Livius loquitur, praecipuam prudentiam assumpsit, quod utriusque populi, Romanorum et Gabiorum, vires nosset sciretque, invisam profecto superbiam regiam civibus esse. A quo Sexti in Romanos dolo atque in ipsos Gabios valente fraus Agathoclis vere civibus destinata non discrepasset, si, ut ille Gabiis se jungere videbatur, ita hic Hamilcarem contra Syracusanos sibi junxisset.

Quibus in angustiis Syracusani satius praevenire, quam praeveniri judicarunt. Poenorum igitur ducem, miro consilio, ut auxilium ferret, nec frustra implorarunt, factumque est eo ipso, ut a metu respirarent. Syracusani non perverse egisse visi sunt ipsi Justino, qui confidenter affirmat, ita uno eodemque tempore Syracusas et ab hoste civili amore defensas, et a cive hostili odio impugnatas esse. Ex primordio rerum gestarum eo adductus est. Fortius enim urbs toties jactata defensa est, quam oppugnata, ut una ex parte sincerum juvandi animum colligamus, ex altera dubii reddamur, desperationi, commiserationi an prudentiae remissam obsidionem tribuamus? Putavitne fortasse Agathocles, tuta consilia gloriae esse anteferenda? Salus enim semper est suprema exercitus lex. Jam quis fossas sanguine exundantes vel cadaveribus militum impletas, ubi mitior inveniri potest exitus, non horreat? Negari certe non potest, Agathoclem consilium sibi salubre amplexum esse, quum precibus per internuncios, quos eloquentia et auctoritate polluisse credo, Hamilcarem exoraret, ut inter se et Syracusanos pacis arbitria susciperet, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. Neque enim cur repulsam timeret, causa suberat, quoniam Poenorum in Syracusanos odium, quod majus erat, etsi videretur sublatum, facile tamen suboriri poterat. Prudentiam sanaque consilia fortitudini praetulit armaque linguae cesserunt, sicut Ulyssis consiliorum et facundiae majus fuit pondus, quam Ajacis rerum fortiter gestarum.

At quantum Siculorum et Hamilcaris inter se distat consilium! Syracusani

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Poenos aemulos, quin hostes in partes suas vocarunt. Nonne senserunt, ubi auxiliares utilitatem ex hac re potuerint sperare, se desertum iri, ubi victores exstiterint, eorum se captivos fore? Id enim semper cavendum ducibus, ne exteris auxiliis ita credant, ut non plus sui roboris suarumque virium in castris habeant, atque id regnum longe melius sibi consulet, quod arces, propugnacula et munitissimas urbes domestico potius praesidio, quam externo committit. Tantum igitur abest, ut Siculorum consilium probetur, ut etiam gratulari sibi Hamilcar potuerit, quod auxilium suum, hostis ad id tempus, imploraverunt. Qua enim re multo sudore ac labore antea non potuit, jam nullo fere negotio potiri potest, sive Syracusanos spectas; hi sua sponte in urbem receperunt, quem hostem metuere debebant; sive Agathoclem; hic, quia in foedus recipi, quod supra diximus, et praetor fieri gestivit in obsequia Poenorum jurare coactus est. Hoc rerum statu Sicilia facile sub Poenorum potestatem redacta esset, nisi Agathocles perfidus ac perjurus esse voluisset, jus regnandi gratia violandum neque aliis rebus pietatem colendam censuisset. Nam postquam praetor Syracusis constitutus est, velut omnia ea fide data acturus, Afrorum ab Hamilcare quinque accepit millia. Quibus etsi hic domesticam stabilire potentiam meditabatur, praeter spem tamen fregit, et vel suspicari noluit, vel ignoravit, bonos pariter ac malos principes satellitibus se peregrinis non abs re sepire. Agathocles enim sine dubio horum custodia se munivit, hos sibi beneficiis devinxit, his se probavit et potissimum se commisit, aliorum libertatom non magnopere curantibus, dummodo sibi bene esset sub principe suo.

Aliquid monstri aluerunt Syracusani, quod suo tempore non suppresserant. Quo neglecto actum erat de libertate, cujus tanto quidem avidiores fuerant, quanto minus compotes esse poterant. Tandem enim insidiator ille, quod diu statuerat, ingens facinus exsequitur, potentissimos quosque ex principibus interficit: atque ita veluti rei publicae statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet, contracto in gymnasio senatu quasi quaedam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum tracidat: cujus peracta caede, ex plebe quoque locupletissimos et promptissimos interficit. Sic eum nec timor populi, nec consensus bonorum omnium, nec principum ora vultusque moverunt. Hac crudelitate foedissima in praesens et in posterum (egregie vero!) sibi consulere voluit, hac saevitia injurias simul omnes et semel effudit, ideo certe, quo minus sentirentur minusque offenderent. Quod consilium etsi pessimum esse omnes homines boni clamabunt, tyrannos tamen in agendi ratione non tam bonitatem quam securitatem respicere, plerique annuent. Quamvis populo mitigato potentiores per adductam vim externam deprimi et sine ulla crudeli caede tyrannidem occupatam stabiliri fortasse potuisse non inficiemur: id tamen inter sagaces non obtenturum se tyrannus ideo censuit, quod jam antea rem publicam bis invasurus repulsam tulerat. Quis enim injuriam sibi fieri, quis premi se patiatur, ubi adhuc tantum superest virium, quibus pravos libertati suae officientes conatus evertere possit? Quapropter qui non occupare solum, sed etiam servare tyrannidem contendunt, nihil antiquius habent,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam ut praecidant, qua possunt celeritate, nervos ad resistendum paratos. Nervi sunt ingenua nobilium libertas, civium fortitudo et amborum divitiae: quos quamdiu intendere civitas valuerit, cavere sibi tyrannum opportebit.

At vero, hocne patrato securitatem sibi Agathocles polliceatur? Fidemne civium ceterorum sinceram sibi promittat? an ab his quoque contra se conjurationem insidiasque identidem non metuat? nam profecto non omnes, qui inviti tyrannidem ferunt, de medio tolli possunt. Ego sane arbitror, ne amicis quidem tyrannos satis fidere et fidem in nemine exspectare, quam ipsi violarint: in eo totos occupari, ne cives potentiores evadant; milites conscribere eorumque stipendio populum exhaurire, ne quis dives fiat aut magnos sumat animos, quum quo quisque pauperior, eo abjectioris animi esse soleat. Neque Agathocles imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Propter impiam certe, quod Aelianus refert, et ad audendum projectam tyranni mentem silere cogebantur cives. Et qui fit, cur tantopere per fas et nefas bella appetat? In promptu causa est. Civium divitiis atque otio facile deturbari solio potuit; ergo ne sublatus videretur, ut lapsu graviore rueret, finitimas civitates nihil hostile metuentes ex improviso aggreditur: summa profecto injuria. Praeterquam quod in Siculos proximos tale quid non cogitantes saeviit, Poenorum quoque, in quorum tamen obsequia juraverat, socios foede vexavit, dignus omnino, in quem, si privatus fuisset, lege Aegyptiorum antiqua animadversum esset, apud quos, teste Diodoro Siculo, perjuri capite mulctabantur, tanquam qui duplici tenerentur scelere, ut qui pietatem in deos violarent et fidem inter homines tollerent, maximum societatis humanae vinculum.

Sed permississe quis dicat Hamilcarem? Quid? si, potentia tyranni Siculi in tantum crescente, impedire non potuit, vel, si potuit aliisque de causis noluit, num culpa vacet Agathocles, quum Hamilcarem ad perfidiam in cives, nescio quibus promissis, adegerit? Num etiam Hamilcar obsequii juramento solvere potuit Agathoclem? Etenim duces Punici Lacedaemoniis regibus similes foris bellorum administrationem habebant, unde praetores atque dictatores a Romanis, potestatem eorum cum sua republica comparantibus, appellari solent: attámen de gravioribus rebus referebatur ad populum. Ejus judicium in dissensione regum atque senatorum valebat: eidem jus erat etiam adversus placita regum et consilia sciscendi, si forte contra rem publicam esse viderentur. Quid jam centumviri, penes quos de ipsis quoque ducibus judicia fuerunt? Ingens certe potestas vel amplitudine juris vel diuturnitate temporis instituta, ut hoc adjumento familiae Magonis nimia potentia coërceretur. Itaque ut Neroni, senatu suffragante, licuisse existimo, Corbulonem in Armeniam adversus Parthos denuo belligeratum mittere, et irritam habere Paeti cum his pactionem, qui Armeniae tuendae dux a Nerone missus imperitia rem perdiderat et turpi foedere cum hoste depactus erat: ita non sua propria quaeque facultate ab Hamilcare, populi et centumvirorum potestate obstante, suscipi cum Agathocle et suscepta rata esse vel poterant vel debebant.

Inde non injustae profecto, dummodo verae fuissent vulgi querelae, utrius-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que agendi rationem inique ferentis, quod in pignus societatis, malo Siciliae et Africae, pactionem interposuerint; quamvis illud malim dicere, quod Bomilcar de summa cruce, veluti de tribunali, Poenis objectavit, eos tacita suffragia in Hamilcarem patruum suum tulisse, quod Agathoclem socium illis facere, quam hostem maluerit. Invidia gloriae comes est in magnis liberisque civitatibus et libenter de his detrahunt, quos eminere vident. Quapropter, si quis in una re deprehensus est malus, talis etiam in aliis praesumi possit; salva vero Hamilcaris fama, quem populus suspiciosus condemnavit, Agathoclem incusare malim, qui Hamilcarem in suspicionem adduxit, Poenorum socios ipso permittente pressos et vexatos esse. Quae si ita non essent, non viderem utique, cur Justinus callida haec Poenorum commenta diceret. Per injuriam inauditum damnaverant cives sui. De his vero quum conjicere tantum liceat, de cetero asseverari potest, Agathoclem totum in eo fuisse, ut bella compararet.

Ipsos quidem Carthaginienses adoriri noluit, ne palam perjurus videretur, revera tamen sociis eorum vexatis lacessivit, uti lacessitos se Romani senserunt, ubi in causa belli Saguntus deleta est. Constabat quoque inter Poenos se jure tueri socios: sed incerti erant, quo potissimum duce uterentur. Hamilcare? suspectus erat, probatus Agathocli; alio? sed non credendum potenti Hamilcari hanc inultam fore ignominiam. Quare tacita de duce suo suffragia tulerunt et sententias, priusquam recitarentur, in urnam conjectas obsignari jusserunt, dum alter Hamilcar, Gisgonis filius, a Sicilia reverteretur. Cauti in eo sibi, ut opinor, visi, quod eum tacite damnarunt, ne seditionem concitaret aut ad hostes ipsos transiret; felices, quod damnatus, antequam turbas dedisset, mortuus est. Sed cautiores, quam feliciores fuerant; eo ipso enim voti sui compos factus est Agathocles, qui, tanquam sibi in omnibus optime cum Hamilcare convenisset, vexare perrexit, eoque damnato, occasionem movendi belli adversus Poenos non amisit, eodem jure socii contumeliam vindicaturus, quo ipsi sociorum injurias vindicaturi erant, nulloque ad id negotio civium suorum excitavit animos, quorum urbs Poenis semper infesta et imperii aemula fuerat.

Quod si hoc bellum tyrannus non parasset, ut curis perpetuis cives premerentur ducisque opera egerent, tandem in laudem ejus quaedam dicerem, quod ad modum gerendi attinet. Etsi enim semel iterumque cum Hamilcare, Gisgonis filio, infeliciter pugnaverat ac Syracusas et imparem viribus Agathoclem hostes obsidione cinxerant: tamen animum non despondit, sed mira prorsus audacia bellum in Africam transferre statuit, ut, quibus in solo urbis suae par non erat, eorum urbi bellum inferret, et qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena, victusque victoribus insultaret. Idque conatu nequaquam temerario eum fecisse putabimus, si civitatis, quam petiit, mores perpenderimus, quos percontari, ut e re fuit, eum non neglexisse, sua sponte apparet. Hos plerumque commercii utilitas moderabatur, cui gens natura et majorum instuto erat deditissima et prudens imprudens omnes rationes suas consiliaque accommodabat. Ex qua re divitiarum admiratio honosque comitia corrupit magistratuum; virtutem pecuniae subjectam debilitavit; populum inflammavit opum cupiditate fraudisque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et mendacii consuetudine infecit: remque publicam ut harum rerum se studio totam traderet, impulit. Quo factum est, ut nec fidei multum in Punicis foederibus, et virium publicarum longe maxima pars in classibus esset; pedestres copiae, robur atque firmamentum cujusvis imperii, nullo, equestres modico essent in honore usuque; quoties terra bellandum, per mercenarias copias res gereretur, quarum nec caritas ulla in rem publicam et fides venalis et discordia molesta et conspiratio terribilis esset.

Ceterum non solus Agathocles domi obsessus obsidentibus alibi maximum periculum metumque injecit. Hannibal, dux ille Carthaginiensium fortissimus, qui sedecim annos per Italiam grassatus erat, domum redire coactus est, quamvis invitus, et tandem ingenti proelio est superatus, quum Scipione duce miles Romanus in Africam se trajecisset Hannibalemque imitari coepisset.

Non inficiabor, hoc Agathoclis factum et similia temeritatem potius, quam fortitudinem quosdam dicturos fuisse, si res non prospere successisset. Nam fortitudo interdum cogitur ad eadem consilia, in quae temeritatem furor impellit, tumque aegre vitii suspicione liberatur, nisi vel felici successu sibi reverentiam favoremque conciliet, vel ille, qui ad hanc ineundorum periculorum necessitatem adigitur, magnae prudentiae sanctitate meruerit, ut ultimas rationes credatur non temere, sed consulto usurpasse.

Illud vero quoniam ad persuadendum difficile est, principes et duces, ubi ejusmodi impetu opus est, quae moliantur non facile indicant, nisi ubi jam ad procinctum tendendum est. Id quidem observavit Agathocles, cujus silentium non minus, quam commentum fuit admirabile, populo hoc solum profitentis, invenisse se victoriae viam. Nullo igitur militum sciente quo veheretur, cursum in Africam dirigit et quum omnes aut in Italiam praedatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, exposito in Africae littore exercitu, consilium suum aperit, postea oratione ad milites habita, universas naves incendi jubet, ut omnes scirent, auxilio fugae adempto, aut vincendum aut moriendum esse. Optimo successu. Nam victis in Africa hostibus domum recurrit atque Syracusas obsidione liberavit: magna laude dignus, si non ipsemet auctor obsidionis fuisset; majore, si tyrannus esse desiisset; maxima, si tyrannus esse nunquam contendisset. Nunc in eum valet illud de Dionysio, simili tyranno, graviter prolatum: Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat: quam quidem veritatem etiam suo exemplo Agathocles comprobavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf